DE

LYSIAE ORATIONE ΥΠΕΡ ΤΟΥ ΑΔΥΝΑΤΟΥ

QUAESTIONES

SCRIPSIT

GUSTAVUS WÖRPEL.

LIPSIAE.

IN AEDIBUS GUSTAVI FOCK. G. m. b. H.

MDCCCCI.

MANIBUS

IVONIS BRUNS

PIETATIS ERGO.

Quod effari et eloqui mens acerbissimo dolore aegra reformidabat, iam evenit fato atroci: praematura et inopinata morte nobis ereptus est **IVO BRUNS**, praeceptor noster reverendissimus dilectissimus. Qui nuntius luctuosus ingenti nos perculit plaga tantoque graviore, quo minus eam aut providebamus aut metuebamus: erat enim Brunsius ea aetate, ut per amplum annorum spatium nos insigni eius doctrina et sapientia fruituros esse liceret sperare. Ecce vero uno ictu optimae spes nostrae quasi falce subiecta succisae et eversae! Cuius viri immortalis funere amariorem nobis accidere umquam calamitatem aut maiorem nos facere posse iacturam quis est qui audeat negare? Renovatur maeror ac luctus et gravius dolet animus uniuscuiusque nostrum, quotienscumque occurrit et tamquam praesens obversatur oculis vivida „animae splendidae“ viri praestantissimi imago. Is, qua erat morum integritate et probitate, unice quid verum, instum, honestum esset quaerere solitus hoc vitae suae summum existimabat finem, ut et ipse coleret virtutem et alios ad optima quaeque petenda ardore veluti inflammaret disciplinaque sua ad humanitatem excoleret. At in praestantissimis Brunsii animi virtutibus quas potissimum delibabo, quasnam e plurimis eius laudibus ut imprimis praedicandas proferam? Sentio ea, quae nulla oratione, nullis verbis apte commodeque possunt referri, maiora videri, dum taceo, quam si leviter cursimque perstringo. Nihil dico de egregiis eius in litteras philologicas meritis, quippe quae **ALFREDUS SCHÖNE,** vir clarissimus, quo nemo defuncto erat devinctior amicitia, cum publice interpretaretur dolorem nostrum, tam disertis verbis in omnium conspectu posuerit tamque sapienter enarraverit, ut nostris voluntatibus plane

satisfecerit. Quare nemo fuit, qui virum doctissimum amici nomen et memoriam summa cum animi aegritudine recolentem audiebat, cuius dolor non mirum in modum levaretur ac deleniretur: nam ut egit *βίον* vere *βιωτὸν* Brunsius, ita vivit etiamnunc in animis nostris neque est mortua sancta eius anima, quae etsi in beatas evolavit regiones, tamen tamquam genius nostra obit concilia, nos invisit, denique immortali fruitur vita. Longa est oratio, si persecuturus sim, quid nos philologiae studiosi quantumque utilitatis debeamus Ivoni Bruns. Etenim admirabilis quaedam erat viri summi ratio, qua nos imbueret litteris, difficultates nostras expediret et explanaret, quae ipse in legendis scriptoribus antiquis sentiret, cum discipulis communicaret. Tam mirifica arte animos nostros ad summum in se obsequium et caritatem devinxit, ut non aliunde venisse, sed tamquam diuturna amicitia et usu necessitatis cotidiano cum eo coniuncti esse et ad ipsius familiam pertinere videremur. Amor noster in defunctum eiusmodi erat, quem spectata viri amplissimi virtus et erga nos benevolentia excitavit: verebamur eum patronum mansuetum, adiutorem promptissimum, nostrarum rerum fautorem compellabamus omnes. Cum esset locupletissimus ingenii arbiter, nullius virtus eum fugit, sed ut quisque bonis artibus et alacri litterarum studio praestabat, ita pro merito quemque suo carum acceptumque habebat; ubi peccabatur, fronte placida blandisque verbis, qua fuit *εὐκολίᾳ*, ut pater indulgens liberis, rectae viae ingrediendae ducem se praebuit erranti voluntarium. Attamen nolite, quaeso, ex iis rebus, quas ego breviter attingo, potius quam ex iis, quae non ignorantur, de eius laudibus suscipere cogitationem, in quem idem cadit, quod Plinius de Titinio Capitone dicit: „Vir est optimus et inter praecipua saeculi ornamenta numerandus: colit studia, studiosos amat, fovet, provehit, multorumque qui aliqua componunt portus sinus praemium, omnium exemplum, ipsarum denique litterarum iam senescentium reductor ac reformator.“

Atque hunc optimum virum, praeceptorem singularem amisimus: toti concidimus, toti corruimus; parentis quisque nostri dixerit eius obitum. Quare summum sit nobis propositum, ut paterna eruditione ac doctrina non plane inveniamur indigni, ut in perscrutandis rebus philologis eadem via, quam praemunivit, quamque si praesens esset corpore, quem animo intuemur, probaturus videretur, ipsi progrediamur!

Exiguum gratissimi in defunctum animi documentum velim esse hanc dissertationem, quam nunc publici facio iuris probante et adhortante Alfredo Schöne, qui, dum in hac versamur orbitate, nihil habet antiquius, quam ut damnum acerbissimum nobis allatum omni ratione reconcinnet mortemque amicissimi collegae duplicatis compenset curis et assiduis pro nostra salute vigiliis. Cuius egregii viri erga nos meritorum memoriam nulla umquam delebit oblivio!

Quodsi forte quis sequentes pagellas perlustrans mirabitur, quod hoc opusculum vel ei ipsi sacrum esse volui, cuius opinionem impugnandam esse censui, sciat me immortalis nostri Ivonis Bruns manes mihi iratos non habere, quippe qui haud ita diu antequam ex hac turba et conluvione discessit ipse mihi propalam asseveraverit se eo vehementius de commentatione mea gaudere, quo fortius equidem susceperim partes adversarii.

Progredere igitur, parve libelle, et experire pinnas! Ego sat multum mihi esse videbor assecutus, si tu dignus iudicaberis, qui in fronte splendidum Ivonis Bruns nomen profitearis.

Dabam Kiliae mense Julio a. 1901.

Cum hoc studiorum Lysiacorum sum propositurus specimen, paene, quominus id exsequar, quod animo proposui, me retinet pudor, quoniam quae his pagellis enarrantur nec gravia esse nec dubitatione omnia exempta neque ullo modo comparanda cum iis, quae viri eruditione et ingenio pariter praestantes enuclearunt, probe scio. Nihilo vero setius cum in iis, quae docti homines sunt ratiocinati, non ubique possem acquiescere, denuo in rem quandam magnopere controversam paulo accuratius inquirere mecum constitui et tamquam *ἐπίκρισιν* adicere illorum quaestionibus conatus sum.

Inter Lysiae orationes quasdam esse spurias falsoque huic oratori suppositas clamitant vel tirones. Nemo fere hisce rebus imbutus nostra memoria est, qui orationem adversus Andocidem (VI) vel ineptias *λοιδορίας πρὸς τοὺς συνουσιαστάς* (VIII) vel or. IX *ὑπὲρ τοῦ στρατιώτου,* quae ne Athenis quidem habita est*), aliasque oratiunculas e manu Lysiae esse profectas arbitretur. Verum docti aetatis nostrae *ἀθετήσεων* avidae quodammodo et amantis etiam orationem XXIV *ὑπὲρ τοῦ ἀδυνάτου* accesserunt eamque e numero genuinorum Lysiae operum eximendam ignotoque alii addicendam esse auctori tulerunt iudicium: quo in numero sunt Böckhius in libro de oeconomia rei publ. Ath. vol. I[3] p. 309d et imprimis Ivo Bruns in egregio libro, quem nemo nisi summa cum delectatione et fructu perleget „Das literarische Porträt der Griechen“ p. 461 sqq.

*) Haec est sententia Eduardi Schwartz, quam ad hoc temporis non fecit publici iuris, sed communicavit per litteras cum Wilamowitzio, qui in lectione, quam habuit hieme 1899—1900, sibi idem videri palam professus est.

Qui doctus quamvis permulta de Lysiae orationibus optime iudicaverit, tamen quin hoc loco in ipsa argumentandi ratione summopere haeream absque eius sententia longe recedam non possum facere. Hunc contra virum spectatum disputaturo durae sunt mihi partes multaque superanda impedimenta! Eo magis vero cavendum mihi esse putavi, ne quicquam dicerem, nisi quod aut ex ipsis oratoris verbis per se redundaret aut non ita magno interpretationis artificio posset effici. His praemissis ad rem ipsam nos accingamus atque primum quidem de orationis XXIV argumento et dispositione paulo uberius videtur disserendum.

§ 1.

Inducitur igitur *ὁ δεῖνα,* qui per *εἰσαγγελλίαν,* ut est in inscriptione*), delatus est, quod inter *ἀδυνάτους* irrepsisset, cum re vera non esset imbecillus atque adeo artem calleret, unde posset facere quaestum ob eamque rem stipendium a civitate destinatum iis, qui corporis debilitate laborabant, iniuria accepisset. Hanc contra delationem exsistit invalidus. *Παρὰ προσδοκίαν* incipit ab demonstranda non egestate sed virtute et dignitate, asseverans non multum abesse, quin accusatori vel gratiam haberet, quod id sibi certamen facultatemque omnis vitae suae rationem publice explicandi comparasset. Ille autem, pergit, improbus nulla alia de causa videtur me in litem detrusisse, nisi quod ego semper me potiorem atque honestiorem praestiti civem, quam ipse, ratus labes et vitia corporis mentis virtutibus et laudibus pulchre corrigi oportere (§ 1—3). Deinde § 4 ipsam ad rem accedit: accusator invalidum obolum a re publica adhuc praebitum denegandum esse contendit duabus causis allatis: primum quod corpus eius esset validum et robustum — nam in equos eum solere ascendere — illi igitur titulum *ἀδυνάτου* nullo modo competere, deinde quod artem exerceret tam fructuosam, ut etiam sumptuosorum ac prodigalium hominum

*) cf. Lampros. Hermes X. p. 260 et 271.24.

consuetudine uti ei liceret. Hoc crimen primum studet refellere *ἀδύνατος* — at quomodo hoc efficit? Pater, inquit, mihi nihil reliquit, matrem hoc triennio ante demum defunctam de meis facultatibus ad finem vitae semper alui, liberi nondum sunt, neque tantum adhucdum potui comparare aeris, unde servum emerem, quem meam artem docerem eoque adiutore in illa exercenda uterer. Adiungit preces, ne sibi seniori detraherent ea, quae olim dedissent iuniori neve moliri perniciem ei, cuius inopia vel inimicorum concitaret misericordiam animum inducerent. In senatorum redigit memoriam semper rem publicam paratam fuisse ad iuvandos egenos, etiamsi hi minus digni fuissent, quorum egestas levaretur. Quid? quod accusator ipse doceret quam liquidissime se ad extremam adactum esse paupertatem: etenim si choregus tragoediis nuncupatum illi conditionem fortunarum permutandarum offerret, vix esse dubium, quin vel decies mallet choregi munus suscipere, quam semel fortunam mutare. Tum § 10 redit unde aberravit oratio iamque repellendum prius, quod in se iecit accusator, probrum suscipit. Quibuscumque, ait, contigit aliqua corporis infirmitas, hi omni modo id agunt, ut odorentur levamen, quo imbecillitas quam maxime fieri possit tolerabilis: quare, ut paululum allevem itinerum molestias, equum conscendere soleo. Qui vero potuit fieri, ut ille me hoc tamquam superbia tumentem et insolentia gestientem facere pro explorato auderet affirmare? Id si ita sese haberet mihique facultates essent ampliores, astraba gestarer, non autem in equis precario sumptis. Quod geminis nixus incedam scipionibus, cum alii singulis utantur, argumento hoc non utitur ad persuadendum me in numero *τῶν δυναμένων* esse — atqui istud debebat mihi vertere vitio is, qui me in ius vocabat, nisi inconstantiae volebat coargui, quoniam utrisque, duobus baculis et astrabis, eadem de causa utor, nempe quia pedibus non valeo. Sin vero impudenti illi homini vobis persuadere contingat me in invalidorum numero non esse habendum, nil obstat, quominus in novem archontibus

sortiar, nil impedit, ne obolum mihi, ut valido, ademptum huic, ut invalido addicatis. Sed cognitum habeo vos me non esse derelicturos in sicco nec vos similiter atque accusatorem furore agitari: iste homo non est mentis compos, quippe qui mecum litigatum venerit *ὥσπερ περὶ τῆς συμφορᾶς ἐπικλήρου οὔσης* senatoribusque persuadere conetur non talem esse rem, qualem ipsi oculis cernant.

Hucusque pertinet propriae accusationis refutatio; inde a § 15 purgat se a criminationibus, quibus illum se constanter insectari contendit: *λέγει ὡς ὑβριστής εἰμι καὶ βίαιος καὶ λίαν ἀσελγῶς διακείμενος*, tamquam eo veriora et iustiora evadant cognomina, quo terribiliora sunt auditu. Sed obliviscitur haec omnia non apud mendicos, sed divites, non apud imbecillos, sed robustos, non apud aetate provectos, sed iuvenes tantummodo reperiri. Quod educit contra me argumentum convenire penes me multos homines profligatos, qui sua cum prodigant, tum bonis aliorum insidientur, ne id quidem maioris est momenti: nam hoc in omnes cadit, qui artibus exercendis faciunt quaestum; atque si ii, qui apud hos itare solent, abiecti habeantur necesse est, nihil restat, nisi ut omnes ad unum Athenienses in improborum numerum sint referendi. Sed non vult diutius insistere *ἀδύνατος* ad singula quaeque criminationum; itaque ad epilogum transiens § 21 orat et obsecrat senatores, ne accusatoris calumniis adducti se privarent iis, quae sola sibi sinistrae fortunae malignitas reliquisset neu morem illi gerentes sibi adimerent, quae ultro dudum tribuissent. Ecquid esse, cur ipsius culpa tantam severitatis iniquitatem meruisset? numquam se cuiquam ullum tulisse detrimentum, cum nullo sibi umquam intercessisse simultates. Quin etiam, cum triginta tyranni rerum essent potiti, se cum plebe peregre fuisse exiliumque toleravisse atque cum optimis civibus capitis discrimina experiri maluisse, quam illis obsequi. Proinde aequo iustoque animo ferrent iudicium et sibi obolum, de quo certaret, addicerent, ut ipse iis gratias posset agere, ille autem accusator disceret praestare

non infirmissimo cuique insidiari, sed eos insectari, quibuscum in pari esset vitae conditione.

§ 2.

Ex brevi hoc orationis conspectu dilucidum est futtile esse eius argumentum neque ad certam iudicii rationem exactam esse materiam; non arte sunt inter sese conexae sententiae, immo sine ordine protulit scriptor singula capita, plus quam semel eundem ad locum revertitur diversisque locis proponit ea, quae uno eodemque loco erant comprehendenda. Tantum abest, ut cogitationes ad ullum certum ordinem sese excipiant, ut contra perturbatae, dissipatae, male contextae sint; denique Lysiae prorsus deest facultas *τάξεως* vel *διαθέσεως* sententiarum rite instituendae et accurate observandae. Quo melius in conspectu possit perspici, quam parum ordine singula redarguantur accusationis capita, orationem breviter delineabo:

§ 1—3 prooemium.

§ 4 et 5, ubi uno loco sunt conglutinata, quae erant dicenda, subiciunt quasi dispositionem, ad quam oratio fuisset exigenda:

φησὶ γὰρ ὁ κατήγορος οὐ δικαίως με λαμβάνειν τὸ παρὰ τῆς πόλεως ἀργύριον.

κατηγορία	*τεκμήρια*
Ia. *καὶ γὰρ τῷ σώματι δύνασθαι καὶ οὐκ εἶναι τῶν ἀδυνάτων.*	Ib. *ὅτι ἐπὶ τοὺς ἵππους ἀναβαίνω.*
IIa. *καὶ τέχνην ἐπίστασθαι τοιαύτην ὥστε καὶ ἄνευ τοῦ διδομένου τούτου ζῆν.*	IIb. *ὅτι δύναμαι συνεῖναι δυναμένοις ἀνθρώποις ἀναλίσκειν.*

Commutato ordine crimen II prius refutatur, ita quidem ut IIa in § 6 et 9, IIb in § 19 et 20, Ia in § 12, Ib in § 10 et 11 absolvatur. Interrumpitur autem pars II §is 7 et 8 insertis, quae nonnulla ad commiserationem

iudicum commovendam apta continent. In §is 13 et 14 iacit contumelias *πρὸς κατήγορον*, quas in §is 15—18 sequitur morum defensio. § 21—27 *ἐπίλογος*.

Quod vero de nostra *ὑπὲρ τοῦ ἀδυνάτου* oratione convenit, idem cadit etiam in ceteras Lysiae orationes, quae res notior est, quam ut exempla afferre sit opus; videas veluti *λόγον ἐρωτικόν*, qui insertus est Platonis Phaedro p. 230e—234c (p. 6_2—10_9 ed. mai Schanz.), de quo Socrates verissime ne Lysiae quidem ipsi tale eloquentiae genus satisfacere posse propalam enuntiat, utpote qui eandem rem bis terve repetiverit, quasi ei deesset copia eadem de re multa dicendi vel nulla ei de hoc esset cura. cf. Dion. Hal. de Lys. c. 15. Itaque orationis dispositio ab eius vulgari componendi ratione minime abhorret neque ullo modo est aliena a Lysiae ingenio existimanda.

§ 3.

Sed progrediamur in oratione inquirenda eiusque initium contemplemur. Quod simillime esse conformatum atque in or. XVI pro Mantitheo habita diu est ex quo observaverunt docti; at quanta intercedat inter utrumque necessitudo, ut appareat, singulos locos apponam:

XXIV.

οὐ πολλοῦ δέω χάριν ἔχειν, ὦ βουλή, τῷ κατηγόρῳ, ὅτι μοι παρεσκεύασε τὸν ἀγῶνα τουτονί. πρότερον γὰρ οὐκ ἔχων πρόφασιν ἐφ' ἧς τοῦ βίου λόγον δοίην, νυνὶ διὰ τοῦτον εἴληφα.

XVI.

εἰ μὴ συνῄδειν, ὦ βουλή, τοῖς κατηγόροις βουλομένοις ἐκ παντὸς τρόπου κακῶς ἐμὲ ποιεῖν, πολλὴν ἂν αὐτοῖς χάριν εἶχον ταύτης τῆς κατηγορίας· ἡγοῦμαι γὰρ τοῖς ἀδίκως διαβεβλημένοις τούτους εἶναι μεγίστων ἀγαθῶν αἰτίους, οἵτινες ἂν αὐτοὺς ἀναγκάζωσιν εἰς ἔλεγχον τῶν αὐτοῖς βεβιωμένων καταστῆναι.

Summam extare inter utriusque orationis prooemia similitudinem cum in aprico sit, Brunsius p. 463 auctorem huius (24.) orationis initium ex altera (16.) conflavisse et quae Lysias dixerat tamquam recoxisse pro certo affirmat. „Die phrase, ait doctissimus, ist dem eingang der 16. rede entlehnt. dort (16.), wo es sich um eine dokimasie handelt, passt sie, hier (24.) nicht.“ Sed duo habeo, quae opponam. Ac primum quidem respiciatur necesse est, licet in codd. nostrae orationi verba *πρὸς τὴν εἰσαγγελίαν περὶ τοῦ μὴ διδόσθαι τῷ ἀδυνάτῳ ἀργύριον* praefixa inveniantur, tamen hanc inscriptionem adeo non speciem veritatis prae se ferre, ut contra orationem nostram in *δοκιμασιῶν* actione habitam esse statuendum sit. Nempe tales res accuratius tractare a re proposita seiunctum est; itaque satis habeo paucis referre, quae enucleatius exposuit vir, penes quem in huius modi quaestionibus peritia est atque iudicium, dico Lipsium apud Meierum et Schömannum de lit. Att. vol. I. p. 312 not. 322 (perperam Fuhrius II[10] p. 88[2] laudat not. 332). Praeclarus erat mos — per *ψήφισμα* sanctus — apud Athenienses, ut egeni cives *ὁπωσδηποτεοῦν ἠχρειωμένοι* (Aesch. adv. Tim. 104), qui sine adminiculo sibi ipsi victum quaerere nequibant, publice sublevarentur stipendiumque ex aerario acciperent. Quinam autem esset dignus habendus, cuius miseria levaretur, ad arbitrium erat reiectum quingentorum senatorum, qui quotannis de integro instituebant *δοκιμασίαν*, quibus *ἀδυνατῶν* in posterum subsidium esset assignandum, quibus denegandum. cf. Bibl. Coisl. 238; Böckh. l. c. I. p. 308 sqq.; Schömann.-Lipsium Antiqu. graec. I[4] p. 479; atque suspicari licet ea occasione oblata nescio quem — sive magistratum quendam sive sycophantam — senatui dubitationes iniecisse, an reus, quippe qui gereret negotia quaestuosa, ea esset conditione, ut e peculiaribus se posset alere loculis: quem in delatorem *ἀδύνατος* noster acerrima oratione invehitur. Quare si Lipsii sententiam ab omnibus fere hodie acceptam amplexi hanc orationem in *δοκιμασιῶν* numerum asciscimus, porro si cum Brunsio

tale initium, quale legimus, nusquam nisi in δοκιμασίαις apte ac commode locum tueri pro certo habemus, quod denique relinquitur dubitandi perfugium?

Sed pedem proferamus. Brunsius auctorem nostrae orationis introitum ex XVI. mutuatum esse contendit, qua in re rationem habet nonnisi utriusque prooemii similitudinum, quibus nihil evidentius sub oculorum cadit adspectum, sed neglegit ex mea quidem animi opinione unam eamque summi ponderis rem: dico stylometriam, qua voce Immischii pace uti mihi liceat. Investigemus igitur quaenam intercedant differentiae. In or. XVI. inducitur Mantitheus quidam, homo non obscuro ortus loco, usu et familiaritate cum externis coniunctus regibus, qui maiorum exemplum secutus omni cogitatione et cura in rem publicam administrandam incubuerat. In rebus privatis erat vir simplex et frugi, quam maxime alienatus ab petulantibus et lascivis oblectamentis, quibus ceteri fallebant adulescentuli otium. *„Quae civis erant καλοῦ κἀγαθοῦ, ea diligenter praestitit, expeditionibus etiam periculosis et laboriosis se ipse obtulit, et quamvis ipse dives non esset, probos tamen, sed pauperes dives, qui stipendia merebantur, suis opibus sublevavit.“* Bremi in ed. Lys. Gothae 1845 p. 152. Favebat autem Mantitheus partibus optimatium et aversissimo erat animo ab ochlocratum intemperantia; temporibus triginta tyrannorum inter equites militaverat, qui ob propensam in Lacedaemonios voluntatem plebi maximopere erant suspecti et invidiosi. Atque ob id ipsum, cum sorte βουλευτής designatus esset, vitae examen subire tenetur. At quemadmodum iste adolescens nobilis elegans urbanus nonnumquam fere sui ipsius admirator aliosque prae se contemnens homines, quemadmodum, aio, facit ille verba? „Nisi nossem, inquit, senatores, omni modo accusatores contendere mihi malum dare, magnam ipsis gratiam huius accusationis haberem, existimans iniusta oneratis calumnia summorum bonorum auctores ac conciliatores esse eos, si qui ad necessitatem reddendae rationis de omni superiore vita acta ipsos adigant!“ Hercle, eminet

hoc enuntiatum venustate exterioris formae: perpolitissimum quidem est ac quasi detornatum, belle sunt exquisita vocabula, eleganter posita, denique omni ex parte nitide elaboratum prooemium! „Paene, senatores, accusatori gratiam habeo, qui certamen hoc mihi comparavit. Antehac deerat mihi occasio rationem vitae meae explicandi: iam eam per hunc adeptus sum. Conabor igitur oratione hunc quidem mentiri demonstrare, me autem ad hunc diem ita vixisse, ut laude sim dignior quam invidia.“ En habes verba, quae pronuntiat *ἀδύνατος* incultus et impolitus, qui homo ex perditissima atque infima populi est faece — lenonum enim est adnumerandus conventiculo. Brevissimis ac paene abruptis enuntiationibus statim in limine rudem impingit opprobriorum molem accusatori. Sed quid opus est circuitione et anfractu? *Ἀδύνατος* sermone imperitorum, eruditorum sermone utitur Mantitheus: alterius verba limatae ac comptae, horridulae ac scabrae orationis gerunt speciem verba alterius. Nonne in hoc diversissimo stilo et genere dicendi quam planissime potest perspici egregia Lysiae ars *ἠθοποιΐας*, quam nemo fere alius scriptor umquam aequiperavit, quaeque ab omnibus ad unum nostrae aetatis doctis viris iure ac merito splendidissimis celebratur praeconiis? Quid enim? fervebant Lysiae studia in variandis orationibus pro uniuscuiusque clientium moribus neque quicquam habuit antiquius, quam ut ad veritatem describeret mores eorum, quibus confecit orationes, et proprietates singulorum distincte respiceret, igitur ut non suos ipsius mores et ingenium omnibus assignaret omnesque idem sentientes, idem loquentes induceret sed rationem haberet aetatis, vitae conditionis, doctrinae eruditionisque quasi gradus, denique cum eorum, quae ad naturam cuiusvis hominis, tum quae ad tempus erant accommodata (*πρέπον*). Sed quae profero decantata et in vulgus sunt nota ac periculum est, ne fusius ea de re disputaturus post egregias Brunsii et Blassii curas — Lysiae orationis et ingenii existimatorum doctissimorum —

oleum et operam perdam. cf. Bruns. p. 440; Blass. Att. Ber. I. 396; Frohberger. prolegg. § 14.

Quod si pro concesso et probato sumimus, non modo non initium orationis XXIV. prooemio orationis pro Mantitheo habitae deberi fatendum est, verum Lysiam, qualem novimus, in utroque prooemio plane agnosci posse ad liquidum est perductum.*)

§ 4.

Iam videamus, quae cetera crimini vertenda esse nostrae orationi censuerunt docti. Est autem unum argumentum, quo maxime nisi damnatorium tulerunt iudicium: quamquam enim huic actioni res subest satis parvula nec gravissima est causa — suasit accusator, ut invalido obolus adhuc praebitus adimendus esset — tamen orator magnas efficit tragoedias magnoque, ut ait Terentius, conatu dicit magnas nugas, ita ut tamquam dissensus quidam exsistat inter materiam atque formam. Acerbissimis irridet facetiis accusatorem, contumeliosissimasque emittit voces in fatuum hominem et ex trivio fere arripit maledicta. Brunsius: „diese blütenlese von schimpfereien entspricht dem harmlosen anlass des processes wenig.“ Altera ex parte cum non infrequenter sales scurriles et ioci minus politi inveniantur, accidit, ut utrum serio quaedam an ioco dicantur in tenebris iaceat. Quos propter locos mire iocosos et ceteras ineptias putidas, quibus scateret haec oratio, quasque apud senatores prolatas esse vix prope accederet ad verisimilitudinem, Boeckhius et Brunsius hanc orationem non verum *ἀγῶνα*, sed *μελέτην* esse suspicati sunt. Boeckhius I 309d: „die rede ist in einem so possierlichen tone verfasst, dass ich sie für eine blosse uebungsrede halte, die nicht vorgetragen wurde: wenigstens hätten die

*) Cavendum esse ne nimis attribuamus talis modi similitudinibus etiam inde elucet, quod in aliis quoque orationibus Lysias, quae alibi iam dixerat, iterare non dubitavit, veluti in oratt. XVII et XIX, quarum in initio rei imperitiam dicendi excusant.

Athener sich höchlich verwundern müssen ueber die spasshaftigkeit dieses um sold flehenden menschen.“ Brunsius p. 462: „der kläger ist ein luftiges gebilde, dem jede realität mangelt.“ — Atque totam hanc quaestionem a vero causae statu recte stabiliendo proficisci debere iudico, quam rem ne tentarunt quidem viri docti rite investigare. Itaque, ne nimium dixisse videar neve infirmo et caduco insistam fundamento, unde disputatio, quam sum instituturus, recte evadat, nunc causam, quae hac oratione exhibetur, quam brevissime enarrare opus est.

Delatus igitur erat invalidus, quod non esset dignus, cui daretur diutius obolus, quem ceteri acciperent egeni: nam primum quidem eius corpus validum et robustum esse, siquidem equos conscendere soleret, deinde reum *τέχνην* exercere, ex qua tantum faceret quaestum, ut consuetudine divitum hominum uti posset. At quibus rebus impulsus hanc de invalido querimoniam apud senatum detulit accusator? Scilicet invidia ductus, quia obliquo limat oculo virtutes meas, nulla alia de causa — ita quidem affirmat *ἀδύνατος*. Attamen qui non insanit cum ratione, observabit dicis solummodo causa hoc proferri: re vera fortasse magistratus quidam, qui delator extiterat, nescio quo pacto illum invalidum sine adminiculo publico alere se posse erat expiscatus. Utrum iste vir, cum ab optimatium partibus esset omnique modo adversus popularium commoda staret (id quod equidem crediderim), an ut magnam probaret fidem ac religionem in muneris officiis obeundis deferret *ἀδυνάτου* nomen ad senatum, haud audeo discernere. Saltem id unum constat ius fuisse apud delatorem, id quod statim clarius videbimus. Nempe oratoris plurimi intererat innocentiae speciem sibi ipsi conciliare, ut quasi clam se in iudicum insinuaret approbationem et assensum furaretur. Accedamus nunc ad crimina ea, quae invalido ab accusatore imputantur. In § 6 refellit alterum opprobrium, quod satis haberet, unde bene et commode viveret, talem in modum: „Pater, inquit, nihil mihi facul-

tatum reliquit — dudum est vita defunctus; mater, quam ad mortem usque alui, tribus annis ante hoc tempus de vita decessit; liberi mihi nondum sunt, qui mihi possint prospicere." — Nae, tuo inquies iure, si neque patri neque matri neque liberis praebere victum tibi opus est, si tecum uno vivis, si nondum es senex, sed demum senescis (verba in § 7 *πρεσβύτερον καὶ ἀσθενέστερον γιγνόμενον* — non dicit *γενόμενον!* — a nullo adhuc interprete satis accurate sunt considerata. cf. § 16 *τοὺς ἤδη προβεβηκότας* — nondum igitur est senex!), si insuper tibi *πρόσοδος ἐκ τεχνῆς* est, ain' tandem, quid vis, quid aucuparis obolum? Summis in angustiis haeret noster *ἀδύνατος;* sed cum non sit ignarus quomodo se ex his expediat turbis, callide se subducit ancipiti causae: Homo est dicax et scurra et alacri praeditus mente, ut solent esse omnes invalidi — iterum planum et perspicuum exemplum *τῆς ἠθοποιΐας!* Iocularia igitur fundit, cum dicit § 8: „Accusator ipse is est, qui paupertatem meam optime possit docere" — suspensis animis quam prolaturus sit rationem debilis exspectamus. Pergit ille: „Fac me choregum esse destinatum illi conditionem permutandi fortunas offerre (*ἀντίδοσιν*), tum accusator vel decies malit choregi munera subire, quam semel res familiares mecum permutare." Cachinnum movet iudicibus haec festivitas — duo de eadem fidelia dealbavit parietes noster duasque res assecutus est una mercede: primum quidem is iocus documenti loco sumebatur, deinde excidebat e senatorum memoria hoc loco proprie testes citari debere, qui planius facerent et confirmarent ea, quae modo exposuerat reus. Sed testes non adsunt; cur non? si adfuissent, in contrariam discessuri fuissent sententiam ac comprobaturi illum haudquaquam paupertate ita opprimi, ut publice adiuvandus esset. In § 10—12 subiungitur refutatio criminis prioris: ex eo, quod equum conscenderet, apparere contendit accusator reum esse corpore validum. Quomodo contra id disserit orator? „Possim, ait, in breve cogere ea quae protulit ille de gestatione mea in equo." Itane vero? non

potest, sed debet id breviter complecti: nam donec vires suppetunt ad equum conscendendum et vehendi labores tolerandos, vix quisquam merito potest appellari *ἀδύνατος*. Ut autem est homo non obtusi ingenii, sed promptus in deverticula flexionesque quaerendo, rebus suis afflictis potest mederi, cum adhibet locum communem: Quicumque corporis infirmitate laborant operam navant in investigando remedio, quo illa fiat toleratu quam expeditissima. Quare equos conscendo — nimirum ob paupertatem (!). Si prolixius essem locupletatus fortunis, *ἐπ' ἀστράβης ἂν ὠχούμην*, sed quoniam sum detrusus in mendicitatem, equis precario sumptis uti necesse habeo." — At unde habes, possis occurrere optimo iure, quo roges mutuo alienos equos et si habes, quanam de causa inhias obolum? Hoc vero illi ne tantillum quidem est curae, sed denuo ferociter in accusatorem invehitur: Iste inde quod in equos ascendam me *δυνατὸν* esse colligit, sed sibi non est consentaneus: nam equidem in eundo duobus innitor baculis, ceteri omnes homines unum tantummodo adhibent: neque tamen hoc utitur argumento ad vobis persuadendum me in numero *τῶν δυναμένων* esse (!). Quod documentum non modo non pertenue, sed potius nullum esse in promptu est: quandoquidem ei non est copia ullas subiciendi imbecillitatis ratiunculas, foedissimis coram proscindit conviciis accusatorem. Impudentem hominem! qui unus cum sit tot iudicibus animum induxerit persuadere inter invalidos me non esse numerandum. Si eius sententia pervicerit, obolus mihi demptus illi attribuatur oportebit, ego ipse vero corpore non debilitatus ne in novem archontum collegium admittar, nihil obstat — iterum petulanter et procaciter admodum dictum; etenim archontum munere non poterant fungi nisi pentacosiomedimni, equites, zeugitae, qui quidem erant vectigales et fecerant stipendia. thetae vero, in quibus reponendus est hic *ἀδύνατος*, cum crearentur novem archontes, sorte erant exclusi. cf. Aristot. *Πολ. Ἀθην.* VII 3. p. 6_{17-23} ed.[3] Kaib.-Wil. Interim increpat ille accusatorem: Cavete, iudices, fidem habeatis illius orati-

onibus, potius credatis id, quod in promptu est positum: cerritus est nec sanae mentis compos neque perinde sapit ac vos, in quo recte facit, nam dignus est qui a vobis dissentiat. Quid enim? *ὁ μὲν γὰρ ὥσπερ ἐπικλήρου τῆς συμφορᾶς οὔσης ἀμφισβητήσων ἥκει* — quae verba multum exhibuerunt negotii viris doctis. cf. Bruns. p. 463: „Dass hier alles darauf angelegt ist, einen scherzhaften alten sich drollig producieren zu lassen, zeigen ja schon die Angriffe auf den kläger, der dem missgeschick des invaliden wie einer erbtochter nachstellt.“ p. 462: „es sind bühnenangriffe.“ Qua in re me quidem non habet adstipulantem: immo in enuntiatione „ille de *συμφορᾷ* mecum ut de puella *ἐπικλήρῳ* litigat“ lepida mihi videtur inesse allegoria, cuius sententia est haec: accusator ad id progressus est impudentiae, ut mihi ne id quidem permittat quod sim claudus et debilis, sed de hoc quasi de re aliqua expetenda moveat litem, tamquam ex hac calamitate multum possit capi emolumenti i. e. accusator invidet mihi, quod accipiam ex aerario obolum, quem ipse concupiscit. cf. § 13 *καὶ ὑμᾶς ἐμοῦ μὲν ἀφελέσθαι τὸν ὀβολὸν ὡς ὑγιαίνοντος, τούτῳ δὲ ψηφίσασθαι πάντας ὡς ἀναπήρῳ.* Itaque his verbis causa affertur, qua commotus ille invalidum iniuria se in *ἀδυνάτων* tabulas insinuasse indicaverat, ut in § 1 *διὰ γὰρ οὐδὲν ἄλλο μοι δοκεῖ παρασκευάσαι τόνδε μοι τὸν κίνδυνον οὗτος ἢ διὰ φθόνον.* § 3. *ἤδη τοίνυν, ὦ βουλή, δῆλός ἐστι φθονῶν, ὅτι κτλ.*

Sponte intellegitur tantum abesse, ut talia ab accusatore prolata fuerint, ut contra hanc esse insulsitatem et fatuitatem appareat, quae non magis est veritatis pignus, quam quod dicitur in § 9 de choregia et in § 13 de archontum munere. Haec autem omnia mendacia sane ea proloquitur de causa, quod non habet idonei quid ad accusatoris crimina diluenda. Nec non eadem prorsus fraudulenta ratione instructa sunt, quae opponuntur *ὕβρεως, βίας, ἀσελγείας* incusationi (§ 15), quam iterum per *τόπον* quendam *κοινὸν* dissolvit hoc modo: Mendicos haud est

consentaneum lascivire sed divites neque quibus corpus est imbecillum, sed qui confidunt viribus suis, neque senibus sed adulescentibus. Ad hunc sententiarum progressum pertinent etiam sequentia, in quibus summatim universimque facit verba invalidus atque iudicibus studet inculcare opinionem pauperibus nullo posse iure protervitatem et rixositatem exprobrari. Quare, argumentatur, crimina quae in me miserum et pauperem coniecta sunt, ut falsissima et absurda in oculos vobis incurrunt. Omnino non serio agere videtur accusator, sed iocari nec denique id spectat, ut talem qualem affirmat me esse vobis persuadeat, sed *ἐμὲ κωμῳδεῖν βουλόμενος ὥσπερ τι καλὸν ποιῶν*. Quam si confutationem ad obrussam exigimus, ne pili quidem eam pendendam esse vix est quod moneam. Latius loquitur orator, cum firmissime contendit pauperrimum quemque honestissimum et spectatissimum esse, proinde quasi nullo possit fieri modo, ut egeni et imbecilli quoque contumeliosi rixosi violenti petulantes sint. Ceterum attentione dignum est quod invalidus in tota refutatione § 15—18 ne verbo quidem *βίας* et *ἀσελγείας* sibi crimini datarum infert mentionem — minime mirum id quidem: nam quo tandem modo potuisset se purgare de *ἀσελγείᾳ* tabernarius et leno, qui procul dubio perditissimorum utebatur consuetudine quemque propensum abiectis hominibus libidinum fuisse administrum et adiutorem iure licet conicere?

Transeamus ad § 19 et 20. Reprehenderat autem accusator reum, quod penes eum convenirent *πονηροὶ καὶ πολλοί*, prodigi et sycophantae, qui subdole bonis insidiarentur hominum proborum honestorumque. Quod ea ex re effecerat ille, noster callide sophistarum more ita detorquet: unusquisque vestrum itare solet aut ad tabernam unguentariam aut tonstrinam aut sutrinam calceariam aut quocumque quemque fert animus. Iam si quis eos, qui ad me conveniunt, ideo pro improbis habet, eum idem de ceteris quoque iudicaturum esse, qui apud alios otium conterunt, clarum est. Sin vero accusator hos tamquam profligatos damnat, universum Atheniensium populum ab eo dam-

nari constat. Brunsius p. 463 hac de argumentatione ita iudicat: „gewiss sind die attischen redner oft recht sophistisch, aber solche scherzhaften paradoxien wagten sie ihren hörern doch nicht vorzusetzen.“ Ac profecto contortum et aculeatum sophisma. In propatulo est *ἀδύνατον* multos libidinosos et dissolutos hospitaliter recipere taberna sua esse solitum ac ne ipse quidem id poterat ullo pacto ire infitias. At quomodo emergitur e malis? vafre vitium eorum, qui suam frequentant domum, convertit in omnes cives, non secus ac si quicumque in tabernas convenire solerent malos haberent ac corruptos mores. Quia re vera id commisit quod accusator ei imputavit nequitiae suae alienam praetendit culpamque, ne nimium senatorum in adspectum veniat, captionis insidiosae dialecticae involvit integumentis. Si quae attuli recte sese habent, hoc sophisma optime cum totius orationis tenore et habitu convenire et Brunsii argumenta per se iusta sua sponte corruere manifesto est compertum.

Quibus expositis spero me aliquid paravisse probabilitatis sententiae meae, quam nunc breviter comprehendam: Quae enumerantur criminationes talem prae se ferunt speciem, ut merito et iure adversus reum conversas esse luce est clarius. Quantumvis obnixe faciat manibus pedibus, ut est in proverbio, contra accusationes, tamen ne minimum quidem habet, quo possit eas redigere ad irritum. Cum igitur res esset anceps et lubrica in summumque adducta discrimen, nec posset omnino redarguere invalidus, quae sibi essent obiecta, Lysias tantis usus est ambagibus, quantas in nostra oratione abhibitas videmus, non immemor oratorum et causidicorum esse ea quae parum sint firma et fallacias magis quam veritatem sapiant quaeque non tam certamen nullis simulationis involucris tectum quam certaminis simulacrum et contentionem ludicram redoleant, verbis elocutionibus argumentis satis in universum allatis callide quasi obtegere et occultare. Exsplendescit quidem oratio meris verbis omnibusque sophismatum generibus, conclusiunculis fallacibus neque vero, ut oportebat, continet

res ad persuadendum idoneas, cum semper disserit reus ita, ut a singulis quam cautissime abstineat, nec iam mirandum est, quod orator omnia, quibus potuerunt labefactari et dilui opprobria, documenta consulto et subducta ratione repudiat. Ubi certa argumenta tuerentur apte locum, funduntur scurriles et pueriles facetiae, vicesque testimoniorum locupletium obeunt inanes contumeliae in accusatorem proterve et procaciter emissae atque adeo imbuimur erroribus, ut vanitati cedat veritas. Facile quilibet sobrio usus iudicio dissimulationis nudare potest ratiunculas ab invalido redditas integumentis — sed ad extremum obloquitur noster neque quisquam, simul ac dicendi finem fecit, ei adversatur, quare ne ineptiret et iocularia iactitaret nihil impediebat. Ergo cum causa, quam dicebat invalidus, non daret ulli probabili defensioni locum, Lysias — necessitate quadam coactus — talem instituebat orationem, qualem nunc legimus. Haec quae attuli argumenta si quid habent veri, cavendum esse apparet totam quam modo adumbravi rationem ne dicamus esse imitatoris ac declamatoris scholastici: est potius plane concinna rhetoris naturae.

§ 5.

Quasi *ἐν παρόδῳ* liceat mihi demonstrare multa ne illi obsequamur commento obstare orationem nostram *μελέτην,* non *ἀγῶνα* esse putandum, id quod statuerunt Brunsius et Boeckhius. Quorum doctorum quia obversabatur animis tamquam imago quaedam adumbrata, quae etsi vitae speciem prae se ferebat, tamen suco et sanguine indigebat, more fortium bellatorum stricto gladio difficultates per vim potius sustulerunt, quam cauti prudentisque medici modo sanaverunt. Faciamus enim paulisper Brunsium et Boeckhium rem, ut aiunt, acu tetigisse, tamen equidem rem potius obscurari et tantum non oblitterari acerrime ausim contendere. Quisquis erat, qui hanc orationem ad ingenium exercendum corrasit, stultus erat et aeque hebes ac pecus, quippe qui adversario ipse praeberet commodam ad se refutandum ansam et, ut ita dicam, ipse ei subiceret gladium,

quo se iugularet. Etenim, ut in § 4 uberius exposui, pessima in conditione versabatur invalidus ac multum aberat, ut ullo posset pacto facere planum ac probare accusatorem praeter aequum et bonum se reum fecisse. Appono h. l. verba Baurii, quae prorsus mea facio, quorum vero a nullo adhuc docto rationem esse habitam admiratio subit animum meum (in convers. germ. Stuttg. 1868 vol. III² p. 346): *„dass unsere rede für eine blosse uebungsrede anzusehen ist, die nicht wirklich gehalten worden, wird nicht angenommen werden können, da eben, wenn, wie es der fall gewesen zu sein scheint, der mit dem verluste seiner unterstützung bedrohte sprecher viele angriffspunkte gab, die ihn der unterstützung nicht würdig scheinen liessen, der verfasser der verteidigungsrede glauben konnte, zu solchen waffen greifen zu müssen.“* Quamobrem adeo non habet me quidem adstipulantem Brunsius, si p. 463 dicit „der verfasser der 24. rede hat ein in seiner art wohlgelungenes stück in lysianischer manier zu stande gebracht“, ut contra hanc orationem, si re vera habita non est, frigidi cuiusdam sophistae opusculum miserrimum et omni prorsus carere sensu et perspicuitate omni affirmaverim asseveratione. Nemo enim sano iudicio talem ad causam, qualis exhibetur, pertractandam — exercitationis causa — habere potest stilum venalem, id quod non verum esse non poteris eo demonstrare, quod hanc oratiunculam re vera habitam esse concedis. Laudo igitur equidem hunc „imitatorem“, quo nemo me iudice expressiorem effinxit ingenii Lysiaci imaginem; at quin detrahimus „imitatoris“ capiti personam? — ecce agnosces Lysiam ipsum!

Nec non perpendendum est orationem, de qua agimus, tamquam firmo historico superstructam esse fundamento: In § 25 orator ad benevolentiam iudicum sibi conciliandam senatorum reducit in memoriam se, cum triginta viri tyrannidem affectaverant, cum ceteris democratibus in urbem Chalcidem Euboicam exulatum abiisse. Ante omnia vero egregie docemur de cura ἀδυνάτων publica: scimus Lysiae temporibus stipendium pauperibus et mutilatis civibus prae-

bitum unius fuisse oboli scil. in unum diem; circiter anno 330, cum conscripsit Aristoteles *Πολιτείαν Ἀθηναίων* altero obolo auctum esse hoc subsidium testatur Ar. l. c. 49_4. (p. 54_{24}—55_5 ed.[3] Kaib.-Wil.). Putabimusne has res, quae in nostra oratione omnibus notissimae et tritissimae sumuntur, in *ἐπιδείξει*, ubi actiones ficticiae tractantur, adhibitas fuisse? Hoc minime crediderim: immo quemcumque hanc orationem ut *μελέτην* conflavisse ponimus in tale quid, quale ibi prolatum videmus, scriptor legentes uberius et verbosius oportebat introducere, cuius vero rei in nostra oratione nullum potest deprehendi vestigium.

Denique or. XXIV *μελέτην*, quae vocatur, esse, qui ipsam materiam recte perspexerit praefracte negabit: etenim qui poterat fieri, ut quisquam tam sterile et aridum argumentum in declamatiuncula componenda sibi asciscere atque talis modi rationibus moleste et operose at tamen miserum in modum conquisitis suum iactare ingenium in animum induceret? Quicumque quae fuerint illius aetatis studia rhetorica vel primoribus gustaverit labris, rhetorum animos tam ieiunam reformidasse et refugisse materiam compertum habebit; multo magis eorum assensioni erat accommodatum, ut argumenta e mythologia ducerent et oblectarentur in defendendis et purgandis Clytemestra, Helena, Busiride aliis.

Ex his apparet orationem XXIV *μελέταις* non esse adnumerandam, immo eam iustam defensionem ab ipso causae actore prolatam habendam esse satis mihi videor demonstrasse. Denique cf. quae disseruit Bergkius in recensito Böckhii opere de oec. rei publ. Athen. Nov. annal. phil. et paed. vol. LXV (1852) p. 392 sq.

§ 6.

At quibusnam rebus commotus Lysias huic reo, cuius causa erat desperata cuique vix quicquam licuit sperare prosperi, orationem scribendi cepit consilium, qua ille in iudicio uteretur? Non licet obiurgare Lysiae ipsius ingenium moresque tamquam propensos ad fallacias exercendas,

siquidem ad inanes sententiarum argutias et tortuosam argumentandi rationem delapsus causae potius quam veritati videtur servire. Immo respiciendum esse censeo, qualis fuerit illius aetatis, qua viguit orator, conditio. Bene, credo, eorum qui tunc Athenis iudicum fungebantur munere indolem illustravit neque imaginem nimis fuco adspersam adumbravit Xenophon, licet ceteroquin abhorruerit quam vehementissime ab Atheniensium democratia, cum in Mem. IV. 8. 5 hunc in modum facit verba *οἱ Ἀθήνησι δικασταὶ πολλοὺς μὲν ἤδη μηδὲν ἀδικοῦντας λόγῳ παραχθέντες ἀπέκτειναν, πολλοὺς δ' ἀδικοῦντας ἀπέλυσαν.* Atque huius rei est causa quaerenda in eo, quod tantopere supra modum Athenis potestas plebis currentibus annis ita erat aucta, ut hoc mobile ac seditiosum genus, quod *εὐκίνητον πρὸς ὀργήν, εὐμετάθετον πρὸς ἔλεον, μᾶλλον ὀξέως ὑπονοεῖν ἢ διδάσκεσθαι καθ' ἡσυχίαν βουλόμενον* haud inepte Plutarchus in praec. pol. 3. 4 vocat, in iudiciis plane dominaretur et aut odio aut amore aut aliquo mentis permotione magis quam veritate et norma legum ferrentur suffragia. Quid igitur mirum, quod causidici partem suam ita amplectebantur, ut quam enixissume popularium inservirent commodo? Quare factum est, ut Lysias, quem acerrimum extitisse imperii popularis propugnatorem adversus eos, qui favebant paucorum dominationi inter omnes constat, rationes sit amplexus *ἀδυνάτου,* qui suae ipsius erat addictus factioni, quo in defendendo res aut callide inventas aut inique detortas in medium proferre non dubitabat. Huc accedebat, ut Lysias rei domum frequentaret eumque penitus cognovisset, id quod haud improbabiliter suspicatus est Rauchensteinius.

Ceterum haud scio an materies eiusmodi sit comparata, quae perquam arriserit et allexerit rhetorem exercitatum ingeniosumque, non quo causam legibus et iuri convenienter se posse feliciter perorare speraret — contra iuris fundamenta erant evertenda — sed quod iuvabat admodum *τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν.* Idem sensisse videbatur Wilamowitzius, cum in lectione, quam habuit hieme

1899—1900, cui ego interfui, iudicaret: „*die sache ist formell, nicht materiell reizend.*“

His omnibus perpensitatis nihil occurrit, quod dubitationem in veram Lysiacam orationis nostrae auctoritatem possit excitare.

§ 7.

Iam animum adtendamus ad huius orationis sermonem ipsum et comparemus verba et elocutiones, quibus auctor usus sit, cum Lysiae dicendi genere et paulo diligentius de rebus grammaticis quaeramus, ut inter utramque dictionem dissimilitudo intercedat necne clarius perspiciamus.

§ 1. *παρασκευάζειν* de machinationibus malitiosis usurpatur etiam in or. 13_{12}; 16_{13}.

πρόφασις causam non solum fictam, sed iustam designat, ut 12_{28}; 14_{1}.

§ 2. *καίτοι, καί, μὲν δή, τοίνυν, ἔτι δὲ* particulas, quae alibi internum sententiarum nexum solent indicare, Lysias ad enuntiationes externo modo colligandas adhibet. Quae eaedem voculae identidem cum in nostra, tum in ceteris orationibus passim recurrunt.

§ 3. *δῆλός ἐστι φθονῶν, ὅτι τούτυυ βελτίων εἰμὶ πολίτης.* Saepius apud nostrum usu veniunt pronominis demonstrativi *οὗτος* casus obliqui, ubi nos reflexivi formas desideramus. cf. 3_{11}; 7_{34}; 12_{84}; 13_{17}; 14_{31}. Male igitur Pluygersius Mnemosyne XI 86 *τούτου* in *αὐτοῦ* immutat.

τὸν βίον διάγειν: tales periphraseis saepius occurrunt. vid. Gleiniger. Hermes IX p. 172.

§ 4. *περὶ μὲν οὖν τούτων τοσαῦτά μοι εἰρήσθω.* Eadem fere verba extant 7_{9}; 29_{8}; 30_{31}.

μὲν οὖν apud Lysiam 69, *μὲν γὰρ* 35 locis invenitur.

In phrasi *οἷόν τε ἐστιν* impersonaliter usurpata apud Lysiam copula reticetur, de qua re vid. Fuhrii adn. crit. a. h. l. p. 132 (ed. 10).

§ 5. *ἐν τῇ τέχνῃ: ἐν* significat „vermittels“ ut 7_{20}; 13_{12}.

ἀναλίσκειν de pecuniarum effusionibus ut 19_{56}.

Verbo *τυγχάνω* a Lysia plerumque participium *ὤν* adnectitur, sed deest praeter hunc locum etiam 20_{36}. cf. Thalheim. „Des Lysias Rede für Polystratos". progr. Vratisl. 1876 p. 36.

§ 6. *ἣν αὐτὸς μὲν ἐργάζομαι, τὸν διαδεξόμενον δ'αὐτήν.* Haud parum saepe deserit Lysias constructionem initio inchoatam, ita ut sententia relativa transeat in demonstrativam. cf. 1_{27}; 3_{47}; $7_{28, 40}$; 10_{27}; 14_{17}; 19_{14}; 25_{11}; 32_{27}.

§ 7. *σῶσαί με δικαίως, ἀπολέσητε ἀδίκως* haud dissimiliter 19_{54} *δικαίως σῶσαι μᾶλλον ἢ ἀδίκως ἀπολέσαι.*

μή, ὦ βουλή, ἀπολέσητε. Semper si allocutione *ὦ βουλὴ* utitur orator, non collegio, sed singulis senatoribus cogitatis pluralis numerus adhibetur. Sunt autem 18 loci: $3_{1, 3, 4, 15, 21}$; 4_{8}; $7_{7, 34}$; 16_{3}; $31_{1, 33}$; in nostra oratione § $_{7, 12, 13, 15, 21, 23, 26}$.

ποιεῖν c. acc. c. inf. = efficere ut. cf. 12_{36}; 14_{22}; 18_{13}; 26_{23}; 30_{14}; 33_{6}.

§ 8. *εἰ ὅτε μὲν ἁπλῆ μοι ἦν ἡ συμφορά, τότε μὲν φαινοίμην κτλ.* Epanalepsi particulae *μὲν* utitur noster, si eam, quae summi est ponderis, notionem audientium animis quam acerrime velit praetendere. cf. 6_{5}; 13_{54}; $14_{11, 20, 21}$; 16_{10}; 20_{19}; 32_{22}.

τότε μὲν — νυνὶ δὲ 18_{14}; $27_{5, 6}$; $34_{3, 9}$.

§ 9. *μόνος ἀνθρώπων.* Genetivus *ἀνθρώπων* saepius superlativis vel verbis superlativorum vices gerentibus additur. cf. 3_{31}; 19_{26}; 29_{2}.

καταστὰθεὶς cf. 13_{35}.

§ 10. *φιλοσοφεῖν* cf. ep. 7_{3}.

ταύτην ῥαστώνην. Si Lysias assimilationem pronominis *οὗτος* ad substantivum relati admittit, casus substantivi plerumque est accusativus: $1_{5, 6, 16}$; 2_{75}; $6_{7, 20}$; 7_{23}; 12_{37}; 13_{17}; 14_{12}; 18_{19}; $21_{13, 17, 19}$; $25_{13, 23}$; 33_{3}.

§ 11. *ἀλλ' οὐ διὰ τὴν ὕβριν* ibid. *ἀλλ' οὐκ ἀνέβαινον* et § 15 *ἀλλ' οὐκ ταῦτα ποιήσων.* Observavi scriptorem nostrum, si oppositionem vult significare, semper *ἀλλ' οὐ* usurpare excepto uno loco in or. 20_{32}, ubi *καὶ οὐ* adhibetur.

νῦν δὲ omissa antea particula *μὲν* reperimus 1_{31}.

εἰ εἶχε — ἐποίησεν ἂν — νῦν δὲ cf. 1_{42}; 4_{7}; 7_{17}; 13_{53}; 25_{5}; 32_{23}.

§ 13. *εἷς ὢν — τοσούτους ὄντας*. Idem oppositum 30_{32}; 31_{31}.

§ 14. *τούτῳ τὴν αὐτὴν ἔχετε γνώμην*. Eodem plane modo, ne eandem habeant sententiam atque actor petit orator 7_{23}; 25_{3}.

εὖ ποιῶν ironice in fine enuntiationis positum ut 32_{17}.

Verbo *συμφορὰ* h. l. eodem pacto personae quasi speciem dedit auctor quo $1_{26, 49}$ *νόμος*, 21_{8} *τριήρης*, 32_{23} *πονηρία*, 19_{6} *ὀργή*; cf. Frohb. Proll. § 12 not. 60.

ἀμφισβητήσων ἥκει cf. 12_{22} *ἥκει ἀποστερήσων*.

μᾶλλον πιστεύετε τοῖς ὀφθαλμοῖς ἢ τοῖς λόγοις cf. 12_{33}; 19_{6}; 25_{13}.

§ 15. *μέλλων ἀληθῆ λέγειν*. A verbo *μέλλω* apud Lysiam non solum infinitivus futuri, sed etiam praesentis pendet. cf. 7_{22}; 8_{12}; 12_{21}; $13_{4, 88}$; $15_{9, 10}$; 16_{13}; 19_{23}. Itaque Cobeti coniectura *μέλλων δόξειν ἀληθῆ λέγειν* supervacanea est.

ταῦτα ποιήσων. Frequentissime noster apud neutrum genus pronominum demonstrativorum pluralem usurpat, ubi nos pro germanica indole singularem exspectamus. cf. $1_{22, 44, 47}$; 3_{25}; $12_{5, 8, 9, 14}$; 13_{21}; 21_{10}; 23_{11}; 27_{10}; 28_{16}; 31_{3}; 32_{10}; singularis tantummodo his locis invenitur: 4_{5}; 12_{34}; 30_{14}; 31_{11}.

διαγιγνώσκειν cf. 3_{2}; $7_{3, 22, 42}$.

οἷς ἐγχωρεῖ ὑβρισταῖς εἶναι. Latissime patere apud Lysiam assimilationem ostendunt hi loci 7_{16}; $12_{1, 31}$; 13_{27}; 16_{7}; 22_{8}; 27_{6}; 28_{10}; 32_{5}.

In enuntiato *οἶμαι δεῖν διαγιγνώσκειν οἷς τ' ἐγχωρεῖ ὑβρισταῖς εἶναι καὶ οἷς οὐ προσήκει* optime Lysiae loquendi usum cernere licet, qui persaepe, ubi notionem aliquam semel verbo aliquo expressisse suffecisset, eam nihilominus deinde alio modo proloqueretur, cum aliud eiusdem fere potestatis posthac substitueret vocabulum. *προσήκειν* enim et *ἐγχωρεῖν* idem valent et poterat salvo sensu nullo per-

spicuitatis damno alterum omitti, tamen rhetoricis nimirum ductum rationibus sic locutum esse Lysiam manifestum est. Similiter 12_{48} *ὅτι οὐ τἀληθῆ μηνύουσιν, ἀλλὰ τὰ ὑπὸ τῶν τριάκοντα πλασθέντα εἰσαγγέλλουσιν.* Neque inepte huc potest referri 25_{22} *εὔχεσθε διὰ τὴν τῶν τριάκοντα πονηρίαν πολὺ μᾶλλον σωθήσεσθαι ἢ διὰ τὴν τῶν ψευδόντων δύναμιν κατιέναι.*

§ 16. Usitatissimum erat oratores Atticos iudices orare, ut aetatem reorum respicerent propter quam nihil magni possent suscipere nec quicquam valerent. cf. Ar. Rhet. II_2. Antiph. 4. γ. $_2$. 4. δ. $_2$.

πολλῷ πλείω. Dativus *πολλῷ* ad *πλείων* appositus pro usitatiore *πολὺ* occurrit 17_6; 29_8.

πιστεύοντας ταῖς ῥώμαις cf. 20_3 *τῷ σώματι πιστεύων.*

§ 17. *ἐξωνοῦνται τοὺς κινδύνους* cf. 27_6 *ἐκπρίασθαι τὸν κίνδυνον.*

§ 18. *ὥσπερ* ironice ut 25_{31}.

§ 19. *ἐνθυμήθητε ὅτι* cf. 26_6 *ἐνθυμεῖσθαι* verbum a nostro oratore frequentatum esse ex eo comprobatur, quod 63 locis invenitur.

§ 20. *ἁμουγέπου* analogon extat 13_7 et fragm. 29 *ἁμωσγέπως.*

§ 21. *πρὸς ἓν ἕκαστον* cf. 4_{11}; 18_3; 20_{16}.

§ 23. *πῶς οὖν οὐκ ἄν.* cf. 13_{69}; 20_{15} atque omnino per *πῶς* crebro fiunt interrogationes, veluti 1_{27}; 3_{25}; 4_7; 8_6; 12_{28}.

μηδαμῶς haec exclamatio invenitur etiam 13_{95}; 20_{32}; 21_{25}.

τύχοιμι τοιούτων ὑμῶν cf. 18_{23}.

§ 24. *πότερον — ἀλλὰ — ἀλλὰ — ἀλλά.* Saepissime apud Lysiam altero disiunctionis membro *ἢ* suppresso ad primam interrogationem respondetur plerumque sententia per particulam adversativam *ἀλλὰ* inducta, tum aut altera aut compluribus sententiis interrogativis eodem modo *ἀλλὰ* inductis interrogatio interrupta recipitur. cf. 2_{74}; 6_{46}; 10_{23}; 11_8; 12_{83}; 14_{41}; 30_{26}; 31_{24}.

§ 25. *ἐπὶ τῶν τριάκοντα* cf. 7_{27}.

ἐξόν participium absolutum 1_{46}; 4_{10}; 7_{42}; 10_{1}; 25_{14}; 26_{5}; 30_{4}.

§ 26. *ἀρχὴν ἄρξας*. Scriptor noster accusativo substantivi, quocum coniungitur verbum eiusdem radicis, utitur hisce locis 13_{62}; 18_{10}; 20_{5}; 21_{18} *ἀρχὰς ἄρχειν;* 30_{23} *ἐπιβολὰς ἐπιβάλλειν;* 18_{7}; 19_{29}, $_{57}$, 21_{3}; 22_{13}; 25_{12}; 30_{26} *εἰσφορὰς εἰσφέρειν;* 8_{8} fragm. 1, 2 *λόγον λέγειν.*

εὐθύνας ὑποσχεῖν cf. 30_{3}.

§ 27. *ἔξω τὴν χάριν* de articulo cf. 21_{17}. *δοῦναι τὴν χάριν.*

Ex his quae attuli exemplis quaeque perfacili negotio quilibet possit augere, satis, spero, effulget nostrae orationis stilum ac genus dicendi ne minimum quidem a sincero Lysiae sermone recedere.

§ 8.

Pauca sunt addenda de arte oratoria, quam huius orationis auctor exprompsit. Lysiam oratorem, quem quidem Cicero de opt. gen. or. § 9 „ieiuniorem" esse contendit, tamen loquendi ornamenta, quae rhetorum et declamatorum illius aetatis propria sunt, sibi assumpsisse neminem fugiet, quae vero utrum ex industria usurpatae an casu orationi immixtae sint, nondum satis ad liquidum est perductum. Nimirum huius loci cum non sit tale quid diligentius adumbrare, equidem perpauca tantummodo, quae observavi, afferam. Atque, ut inde capiam initium, figurae quae parechesis (allitteratio singularum litterarum) vocatur et quae cum hac maxime cognatae sunt, paromoeosis vel paronomasiae (annominationis i. e. allitteratio totius fere verbi) et homoeoteleuti extant haec:

a) parechesis:

§ 1. *πρότερον — πρόφασιν.*
§ 13, 14. *πειρᾶται πείθειν.*
§ 22. *πάλαι πάντων.*
§ 25. *πολλοὺς πολιτῶν.*

b) paronomasia:

§ 5. *δύναμαι δυναμένους.*
§ 13. *δυναμένων διδόμενον.*
§ 16. *νέους καὶ νέαις.*
ibid. *βουλομένους ἐπιβουλεύουσιν.*
§ 22. *τούτου τουτονί.*

c) homoeoteleuton:

§ 10. *ζητεῖν — φιλοσοφεῖν.*
§ 18. *σπουδάζων — παίζων.*
§ 20. *μυροπωλεῖον, κουρεῖον, σκυτοτομεῖον.*
ibid. *κἀκείνων ἁπάντων Ἀθηναίων.*
§ 22. *κακῶν — ἀγαθῶν.*
§ 23. *καλλίστων — μεγίστων.*

Atque si perlustrabimus ceteras Lysiae orationes, eum minime haec *Γοργίεια,* quae dicuntur, *σχήματα* sprevisse inveniemus. Respiciantur loci hi:

ad a) 1_{12} *πειρᾶς παιδίσκην;* 32_{4}; $13_{13,\ 18}$ multa alia.

ad b) 28_{7}; $31_{9,\ 11,\ 24,\ 26,\ 30}$; 25_{1}; 18_{3}; 12_{24}; 19_{54}. cf. Berbig. Ueber das genus dicendi tenue des redners Lysias. progr. Cuestrin. 1871. p. XVII. Erot. p. 8_{21}.

ad c) 1_{45}; 25_{23}; 30_{21}. Homoeoteleuton Berbigio teste plus quam 140 locis invenitur; cf. porro Erot. p. 6_{14}; 8_{5}; 8_{18}; 9_{13}; 9_{15}; 9_{22}.

Sequitur hypophora, cuius figurae exemplum est § 24, ubi auctor altercationem refellit, quam sibi ipse facit *πότερον ὅτι δι᾽ ἐμέ τις εἰς ἀγῶνα πώποτε καταστὰς ἀπώλεσε τὴν οὐσίαν.* Huiuscemodi figuras rhetores summo studio affectasse vix est quod moneam, quare sescenties deprehenduntur, veluti in or. 12_{40}; 30_{26}; 31_{24}; Er. p. 9_{2}.

ὑποσιώπεσιν habemus § 10 *οὐ πολὺς ὁ λόγος.* cf. 12_{43}; 30_{2}; 31_{20}. Uno verbo addam in § 2 verbis *εἰ μὲν γὰρ ἕνεκα χρημάτων με συκοφαντεῖ* (ita enim erhibet codex *X*, falsissime editores fere omnes pro *εἰ* Cobeti coniecturam *οὐ* in textum receperunt) figuram *ἀποσιωπήσεως* subesse, cum desideretur apodosis. cf. Fuhr. a. h. l.

Animadversione dignum esse existumo Lysiam, quem. quod „parvarum rerum causulas scripsit et se ad minutarum genera causarum limavit“ (Cic. l. c.), simplices et usu cotidiano paene tritas adhibuisse facile quispiam crediderit elocutiones, nihilominus vocabula ab usu communi remota carminibusque magis quam sermoni pedestri apta in usum suum convertisse. Hoc ad genus pertinet § 3 *τοῖς τῆς ψυχῆς ἐπιτηδεύμασι;* cf. 14_{1}; 16_{18}; 21_{21}; 31_{24}; Erot. p. 9_{7}; 9_{29}; § 6 *δυσχερεστάτῃ τύχῃ;* § 14 *φιλοσοφεῖν;* § 23 *δειλαιότατος,* quod nonnisi hoc loco invenitur apud Lysiam; alibi pro eo *ἀθλιώτατος* ponitur; § 24 *ἀφορμαὶ τοῦ βίου.* cf. fragm. 1, 2; ibid. *πολυπράγμων* et *φιλαπεχθήμων.* Lysiae huiusmodi verba cum *πολὺς* et *φίλος* composita fuisse adamatissima apparet ex his locis 7_{31}; 8_{7}; fragm. 328; 19_{44}; 12_{44}; 16_{6}; 10_{2}; 22_{8}; 3_{40}; 2_{25}; Er. p. 7_{9}; 9_{22}. Vid. quae Blassius Att. Ber. I. p. 408 sqq. hac de re et de Lysiae in conformandis novis compositis studio exposuit.

Subductis igitur rationibus nihil video equidem quod Lysiae stilum dedeceat.

§ 9.

Restat, ut de verborum cumulatione et amplitudine disseram, simul vero de periodorum structura et eurhythmia, quae utraque quaestio seorsum tractari non potest. Haec autem vocabulorum ubertas quantum afferat orationi ornamenti quamque accommodata sit ostentationi, iam pater artis rhetoricae Gorgias animadvertit atque ubivis in eius operibus, quae quidem diem tulerint, nobis obvium fit hoc pulchre dicendi instrumentum. Inde a Gorgiae temporibus ista orationis pingendae species et pompa vulgo accipiebatur nec quisquam est rhetorum, cuius in orationibus ullum vestigium illius *γοργιάζειν* nequeat deprehendi ac perspici. Incipit autem haec vocum abundantia a binis synonymis consociandis:

§ 10. *ζητεῖν καὶ φιλοσοφεῖν.*
§ 7. *νεωτέρῳ καὶ μᾶλλον ἐρρωμένῳ.*
ibid. *πρεσβύτερον καὶ ἀσθενέστερον.*

Libentissime vero terna inveniuntur nomina coniuncta. cf. Vahlen. Der Rhetor Alkidamas. Vindobonae 1864 p. 19 (509). Quae dicendi phalerae Lysiae quoque animo placuerunt. cf. or. 18_{27} *δέομαι, ἀντιβολῶ, ἱκετεύω.* ibid. § 6 *γένει, οὐσίᾳ, ἡλικίᾳ.* Erot. p. 9_{13-16} (bis). Nec non in nostra oratione trimembrem affectavit loquendi formam idque

§ 8. *γῆρας — νόσοι — τὰ τούτοις ἐχόμενα κακά.*

§ 15. *ὑβριστής — βίαιος — ἀσελγῶς διακείμενος.*

§ 20. *μυροπωλεῖον — κουρεῖον — σκυτοτομεῖον.*

§ 24. *πολυπράγμων — θρασύς — φιλαπεχθήμων.*

Aliud etiam manifestum Gorgiae imitationis documentum cernitur in antithetis struendis, in quibus binis, vel id quod saepius fit, ternis solet membris proferre auctor sententiam suam: nam quod cadit in singulorum verborum cumulationem, idem in continua oratione ad periodos quoque referendum est. Atque initium quidem, ut par est, faciam ab *δικώλῳ*, cuius exempla haec sunt:

§ 8.

I. { a. *ὅτε μὲν ἁπλῇ — συμφορᾷ.*
b. *τότε μὲν — τοῦτο.*

II. { a. *ἐπειδὴ καὶ — προσγίγνεταί μοι.*
b. *τότε ἀφαιρεθείην.*

§ 10. a. *οὔτε τὴν τύχην δείσας.*
b. *οὔτε ὑμᾶς αἰσχυνθείς.*

§ 14. a. *οὔτε ὑμεῖς — γνώμην.*
b. *οὐθ' οὗτος — ποιῶν.*

§ 18. a. *οὔτε ὑβριζομένοις — ὑπάρξαντας.*
b. *οὔτε ὑβρίζειν — ἀδικουμένων.*

§ 19.

I. { a. *οὐδὲν ἐμοῦ — μᾶλλον.*
b. *ἢ τῶν ἄλλων — ἔχουσιν.*

II. { a. *οὐδὲ τῶν — μᾶλλον.*
b. *ἢ τῶν — δημιουργούς.*

§ 20. *δῆλον ὅτι*

I. a. *εἴ τις — εἰσιόντων.*
   b. *καὶ τῶν — διατριβόντων.*

II. a. *εἰ δὲ — κἀκείνων.*
    b. *ἁπάντων Ἀθηναίων* (Symploce).

§ 22.

I. a. *μηδ' οὗ — πατρίδι.*
   b. *τούτου — ἀποστερήσετέ μου.*

II. a. *μηδ' ἃ πάλαι — ἔδοτέ μοι.*
    b. *νῦν οὗτος — ἀφελέσθαι.*

§ 26. a. *οὔτε χρήματα — αὐτῶν.*
      b. *οὔτε ἀρχὴν — νῦν αὐτῆς.*

Neque in ceteris orationibus Lysias ab hac scribendi ratione est alienus, quam agnosces, si conferas or. 5_{4}.

ἴσασιν γὰρ ὅτι

I. a. *ἂν ψευδόμενοι — ἐλεγχθῶσιν.*
   b. *οὐδὲν μεῖζον — πείσονται.*

II. a. *ἐὰν δ' ὑμᾶς ἐξαπατήσωσι.*
    b. *τῶν παρόντων — ἀπηλλαγμένοι.*

Porro cf. 1_{6}; 12_{19}, $_{21}$, $_{24}$; 14_{35}; 21_{16}; 25_{6}; 30_{16}.

Transeo ad *τρίκωλα*, quae rhetoribus, ut supra iam dixi, ante omnia erant adamata:

§ 6. a. *ὁ μὲν πατὴρ — οὐδέν.*
     b. *τὴν δὲ μητέρα — τουτί.*
     c. *παῖδες δέ μοι — θεραπεύσουσι.*

§ 27. a. *ὑμεῖς μὲν — πάντες.*
      b. *ἐγὼ δὲ — χάριν.*
      c. *οὗτος δὲ — μαθήσεται.*

§ 7.

I. a. *μηδὲ ἃ νεωτέρῳ — ἔδοτε.*
   b. *πρεσβύτερον — ἀφέλησθε.*

II. a. *μηδὲ πρότερον — δοκοῦντες εἶναι.*
    b. *νυνὶ διὰ τοῦτον — ἀποδέξησθε.*

III. *μηδ' ἐμὲ — ποιήσετε.*

§ 12.

I. a. ὅτι δ' ἐπὶ — ἀναβαίνω.
b. πειρᾶσθαι πείθειν — εἰμί.

II. a. ὅτι μὲν δυοῖν — χρωμένων.
b. μὴ κατηγορεῖν — ἐστίν.

III. a. ὅτι δ' ἐπὶ — ἀναβαίνω.
b. τεκμηρίῳ — δυναμένων.

§ 16.

I. a. οὐ γὰρ πενομένους — εἰκός.
b. ἀλλὰ τοὺς πολλῷ — κεκτημένους.

II. a. οὐδὲ τοὺς — ὄντας.
b. ἀλλὰ — ῥώμαις.

III. a. οὐδὲ τοὺς ἤδη — τῇ ἡλικίᾳ.
b. ἀλλὰ τοὺς ἔτι — χρωμένους.

§ 17.

I. a. οἱ μὲν γὰρ — κινδύνους.
b. οἱ δὲ πένητες — ἀναγκάζονται.

II. a. οἱ μὲν νέοι — πρεσβυτέρων.
b. τοῖς δ' ἑτέροις — ἀμφότεροι.

III. a. τοῖς μὲν ἰσχυροῖς — ὑβρίζειν.
b. τοῖς δὲ ἀσθενέσι.
1. οὔτε — ὑπάρξαντας.
2. οὔτε — ἀδικουμένων.

Extremum huius tricoli antitheti membrum antecedentibus ambitu antecellit, cum subnectatur *δίκωλον (οὔτε — οὔτε)*, qua de norma Cicero de oratore III. 48. 186 dicit haec: „posteriora superioribus, extrema primis membris longiora esse debent“. Neque minus huius dictionis artificiosae specimen luculentum praebent § 24 et § 25:

I. a. ἀλλ' ὅτι — φιλαπεχθήμων.
b. ἀλλ' οὐ — χρώμενος.

II. a. ἀλλ' ὅτι — βίαιος.
b. ἀλλ' οὐδ' ἂν — ὁμοίως.

III. a. ἀλλ' ὅτι ἐπὶ — πολιτῶν.
b. αλλὰ μετὰ — ἁπάντων.

(iterum antitheseos membrum ultimum amplius est quam antecedentia). Omnia eiusmodi exempla et dicolorum et tricolorum summa cura congessit Berbigius in programmate supra laudato, quibus equidem addo nonnulla ex λόγῳ ἐρωτικῷ petita. Qui sermo amatorius vulgo plane neglegitur a doctis in specie Lysiae orationis adumbranda; tamen eum non parum nos posse ea in re adiuvare mihi quidem persuasum est. cf. p. 8_{26-31} (Schanz.)

I. a. οὐ τὴν παροῦσαν — συνέσομαί σοι.
I. b. ἀλλὰ καὶ — ἔσεσθαι.

II. a. οὐχ — ἡττώμενος.
II. b. ἀλλ' ἐμαυτοῦ κρατῶν.

III. a. οὐδὲ — ἀναιρούμενος.
III. b. ἀλλὰ — ποιούμενος.

p. 9_{16-27}.

A.

I. a. οὐ τοῖς σφόδρα — χαρίζεσθαι.
I. b. ἀλλὰ — δυναμένοις.

II. a. οὐδὲ — προσαιτοῦσιν μόνον.
II. b. ἀλλὰ — ἀξίοις.

III. a. οὐδὲ — ἀπολαύσονται.
III. b. ἀλλὰ — μεταδώσουσιν.

B.

I. a. οὐδὲ — φιλοτιμήσονται.
I. b. ἀλλὰ — σιωπήσονται.

II. a. οὐδὲ — σπουδάζουσιν.
II. b. ἀλλὰ — ἐσομένοις.

III. a. οὐδὲ — ζητήσουσιν.
III. b. ἀλλὰ — ἐπιδείξονται.

Effulget ex his auctorem nostrae orationis adeo non simplicitatis et communis loquendi consuetudinis speciem prae se ferre, ut contra non exiguum magnifice eleganterque scribendi appareat studium totusque spiret sermo vehementer artem rhetoricam. Eadem lenocinii instrumenta in genuinis Lysiae orationibus usitatissima sunt,

quod iam Photius recte cognovit, utpote qui cod. 498 A 50 (Bkk.) *ἰδίωμα Λυσίου καὶ τὸ τὰς ἀντιθέσεις προάγειν* contenderit. Qua instructi scientia si nonnullas perlustramus orationes, latissime patere hunc Lysiae morem inveniemus; exempli gratia affero or. 3_{46}; 12_{21}; 12_{51}; 27_{11}; 31_{10}, $_{11}$; 34_{11}, ut silentio praeteream funebrem illam orationem, quae tota est referta omnibus antithetorum ceterarumque figurarum generibus. cf. Norden, Antike Kunstprosa vol. I. p. 120. Omnia igitur in nostra oratione optime congruere cum Lysiae sermone et consuetudine dilucide, spero, cernitur.

Iam licet hic finem facere disputationi, etiamsi nonnulla, quae vero minoris sunt ponderis, a me intacta esse relicta non nescio. Sin argumenta, quibus usus sum, satis firma et ad persuadendum valida extiterunt, haud scio an iam nunc summam facere possim eorum, quae exposui: recte, opinor, ratiocinabimur, si Lysiam orationis *ὑπὲρ τοῦ ἀδυνάτου* inscriptae auctorem esse statuimus.

Typis expressit Carolus Salewski, Berolini.